

## TIBERIANUS

## CARMINA (93 vers)

T1 v.1 Amnis ibat inter arva valle fusus frigida,  
 2 luce ridens calculorum, flore pictus herbido.  
 3 Caerulas superne laurus et virecta myrtea  
 4 leniter motabat aura blandiente sibilo.  
 5 Subter autem molle gramen flore adulto creverat :  
 6 et croco solum rubebat et lucebat liliis,  
 7 et nemus fragrabat omne violarum <sub> spiritu.  
 8 Inter ista dona veris gemmeasque gratias  
 9 omnium regina odorum vel colorum Lucifer  
 10 aureo flore eminebat cura Cypridis rosa.  
 11 Roscidum nemus rigebat inter uda gramina :  
 12 fonte crebro murmurabant hinc et inde rivuli,  
 13 antra muscus et virentes intus <hederae> vinxerant,  
 14 qua fluenta labibunda guttis ibant lucidis.  
 15 Has per umbras omnis ales plus canora quam putes  
 16 cantibus vernis strepebat et susurris dulcibus ;  
 17 hic loquentis murratur amnis concinebat frondibus,  
 18 quis melos vocalis aurae musa Zephyri moverat.  
 19 Sic euntem per virecta pulchra odora et musica  
 20 ales amnis aura lucus flos et umbra juverat.

T2 v.1 Aurum, quod nigri manes, quod turbida versant  
 2 flumina, quod duris extorsit poena metallis !  
 3 Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis,  
 4 quo Stygii regina poli Proserpina gaudet !  
 5 Aurum, quod penetrat thalamos rumpitque pudorem,  
 6 qua ductus saepe illecebra micat impius ensis !  
 7 In gremium Danaes non auro fluxit adulter  
 8 mentitus pretio faciem fulvoque veneno ?  
 9 Non Polydorum hospes saevo necat incitus auro ?  
 10 Altrix infelix, sub quo custode pericli  
 11 commendas natum ? Cui regia pignora credis ?  
 12 Fit tutor pueri, fit custos sanguinis aurum !  
 13 Immitis nidos coluber custodiet ante  
 14 et catulos fetae poterunt servare leaenae.  
 15 Sic etiam ut Trojam popularet Dorica pubes,  
 16 aurum causa fuit...  
 17 ..... pretium dignissima merces :  
 18 infami probro palmam convendit adulter.  
 19 Denique cernamus, quos aurum servit in usus.  
 20 Auro emitur facinus, pudor almus venditur auro,  
 21 tum patria atque parens, leges pietasque fidesque :  
 22 omne nefas auro tegitur, fas proditur auro.  
 23 Porro hoc Pactolus, porro fluat et niger Hermus ?  
 24 Aurum, res gladii, furor amens, ardor avarus,  
 25 te celent semper vada turbida, te luta nigra,  
 26 te tellus mersum premat infera, te sibi nasci  
 27 Tartareus cupiat Phlegethon Stygiaeque paludes !  
 28 Inter liventes pereat tibi fulvor harenas,  
 29 nec post ad superos redeat faex aurea puros !

- T3 v.1 Ales, dum madida gravata nube  
 2 udos tardius explicat volatus,  
 3 decepta in medio repente nisu  
 4 capta est pondere depreme plumae :  
 5 cassato solito vigore penna,  
 6 quae vitam dederant, dedere letum ;  
 7 sic, quis ardua nunc tenebat alis,  
 8 isdem protinus incidit ruinae.  
 9 Quid sublimia circuisse prodest ?  
 10 Qui celsi steterant, jacent sub imis  
 11 exemplum capiant, nimis petendo  
 12 qui ventis tumidi volant secundis.
- T4 v.1 Omnipotens, annosa poli quem suspicit aetas,  
 2 quem sub millenis semper virtutibus unum  
 3 nec numero quisquam poterit pensare nec aevo,  
 4 nunc esto affatus, si quo te nomine dignum est,  
 5 quo sacer ignoto gaudes, quora maxima tellus  
 6 intremet et sistunt rapidos vaga sidera cursus.  
 7 Tu solus, tu multus item, tu primus et idem  
 8 postremus mediusque simul mundique superstes.  
 9 Nam sine fine tui labentia tempora finis.  
 10 Altus ab aeterno spectas fera turbine certo  
 11 rerum fata rapi vitasque involvier aevo  
 12 atque iterum reduces supera in convexa referri,  
 13 scilicet ut mundo redeat quod partibus haustus  
 14 perdiderit refluumque iterum per tempora fiat.  
 15 Tu (siquidem fas est in temet tendere sensum  
 16 et speciem temptare sacram, qua sidera cingis  
 17 immensus longamque simul complecteris aethram)  
 18 fulmineis forsitan rapida sub imagine membris  
 19 flammifluum quoddam jubar es, quo cuncta coruscans  
 20 ipse vides nostrumque premis solemque diemque.  
 21 Tu genus omne deum, tu rerum causa vigorque,  
 22 tu natura omnis, deus innumerabilis unus,  
 23 tu sexu plenus toto, tibi nascitur olim  
 24 hic deus hic mundus, domus haec hominumque deumque,  
 25 lucens, Augusto stellatus flore juventae.  
 26 Quem (precor, adspires), qua sit ratione creatus,  
 27 quo genitus factusve modo, da nosse volenti ;  
 28 da, Pater, Augustas ut possim noscere causas,  
 29 mundanas olim moles quo foedere rerum  
 30 sustuleris animamque levi quo maximus olim  
 31 texueris numero, quo congrege dissimilique,  
 32 quidque id sit vegetum, quod per cita corpora vivit.